

calauros, quos spatio sexaginta annorum Sorbona numerat, inter quos tot Episcopos, Archiepiscopos, atque ipsum Eminentissimum Cardinalem de Noailles, iniquissimos appellare audet impudens, Authore Quesnello, præfatio *Causæ Arnaldinæ*, ubi censuram iniquissimam, cassam, & irritam declarat. Quis dicet homuncionem hunc tam præfidentem, tenuitatis suæ conscium esse, & suo iudicio tantillum? Tanquam alter Daniel in ipsa libri fronte denunciare omnibus non dubitat, Revertimini ad iudicium. Dan. 13. v. 49.

Quod in Jansenianæ hæreseos patrocinium partes Danielis agere pseudo-propheta præsumat, minùs mirum est, quando Portus-Regii Abbatissa *Agnes de Sancta Thecla*, sublato morte Arnaldo, quasi altero Eliâ, eum fecit *Eliseum duplicis illius Spiritus heredem*. Epistola Abbatissæ refertur in *Causâ Quesnellianâ* pag. 290., & 291. Erat gratiarum actoria pro misso per Janseniani Ordinis Subpriorum corde Arnaldi, quo nullæ obtingere poterant reliquæ Jansenianis Monialibus chariores.

Ipsò quo Bruxellis die obiit Arnaldus 4. Augusti 1694. Scripserat Parisiis Collegii cuiusdam Jansenianus præses ad Quesnellum, prædicando ejus felicitatem maximam, quod magni Prophetæ *Jeremiæ Gallici liceret ipsi esse Baruch*. Ita minùs, inquam, mirum videri debet, si Daniele quodammodo major, non duos senes, sed infinitum Baccalauorum, Licentiatorum, Doctorum, etiam Antifitium numerum de falso contra Arnaldi opinioniones testimonio, convincendos suscipiat.

Cui rursus persuadebit Quesnellus se tenuitatis suæ conscium, & sibi tantillum hominem videri, qui tam elato supercilio Romanos Sedis Apostolicæ Theologos, Summos Fidei Quæsitores, Cardinales, & Consultores despicit velut imperitos; ut dum occasione Decreti Alexandri VIII. contra propositiones 31. scribit in Epistola sub nomine Abbatissæ ad quendam Romanæ Curie Prælaturam: pag. 31. *Maxima pars Cardinalium, & Theologorum* (qui adhibentur ad Propositionum censuram) *nihil intelligit*. Pag. 43. *Censores Romani modicam habent antiquitatis notitiam; imò sæpe ignorant, quod in novis Theologis est optimum. ibidem Censores Romani susque deque per fas & nefas condemnant pro libitu, quidquid non consentit cum Theologia sua ideis, quæ sæpe falsissima sunt, vix quidquam habentes de Theologia Patrum*. Quanto Quesnellus scientiæ Theologicæ lumine Romam illustrasset, dissipans tam crassas Qualificatorum, Consultorum, Cardinalium, ipsorumque Pontificum tenebras, si tantus Ecclesiæ Doctor auditus

illie fuisset? Accersendus pridem fuit, & omnibus dogmaticis Congregationibus præficiendus. Navi, quæ Quesnellum Romam cum Jansenianis mercibus vexisset, non incongruè applicaretur quod Hieronymus per ironiam contra Rufinum Apol. lib. 3. cap. 8. scripsit; *O Triremem locupletissimam, quæ Orientalibus, & Ægyptiis mercibus Romana urbis ditare venerat paupertatem! Te multo tempore Pharus docuit, quod Roma nesciuit; instruxit Ægyptus, quod Italia huc usque non habuit. Te Quesnelle paludes Batavicæ docuerunt, quod Roma hæctenus ignoravit*.

Omnes Romanos Antifitites auctoritatis suæ Apostolicæ non prodigos ludibrio Quesnellus excipit, propositionis 29. ab Alexandro VIII. prohibita censuram exagitant, *Epistolâ Abbatissæ ad quendam Romanæ Curie Prælaturam*. pag. 31. *Hoc, inquit, lepidum videtur, quod Pontifex se ipsum constituit Judicem in propria causa: quod omnem potestatem, omnes prærogativas commodas sibi attribuat: quod quidquid lubet, sibi arroget, statuens se solum Judicem Conciliorum, & Magistrum Ecclesiæ, idque dicendo ita, vel non, quando proponitur aliquid à Sacra Congregatione decisum*: Ita Quesnellus ob damnatum ab Alexandro VIII. articulum hunc 29. *Futiles & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei Quæstionibus discernendis infallibilitate*. Contra cujus Articuli prohibitionem sub larva anonymi Abbatissæ Quesnellus in Epistola jam citata ait pag. 31. *Quæ isthæc miseria? En tibi pronuntiata sententia, quæ decidit magnam litem inter Concilia, & Pontifices: quæ Episcoporum, & populi Fidem dirigit: quæ Conciliorum auctoritatem, & necessitatem planè destruit: quæ facit Ecclesiam dependere à repentino impetu unius Pontificis similis Alexandro VI. vel audacis ut fuit Julius II., & Sixtus V. Denique nos contrarium sustinentes declaramur Schismatici, & ipso facto excommunicati, ac cælum nobis in perpetuum occluditur, si fidem habeamus septem, vel octo Theologis Ultramontanis, & totidem Cardinalibus, qui ut plurimum nihil intelligunt*.

Qui aliquibus Baji sententiis censuram opposito dogmati infigentibus addicti sunt, in promptu habere solent, ut afferant non esse damnatas propter doctrinam, sed propter temerariam in dogma oppositum censuram. Quæ excusatio etiam hinc usui venire Quesnello poterat, nisi maluisset Schismatico consilio Gallos contra Sedem Apostolicam concitare. Pag. 28. *Damnatio propositionis 29. fuit facinus maximè audax quod contra sensum universæ Ecclesiæ unquam aggressa est Roma*. Alibi ex